

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition publiée en 1766 chez Henricus Beman, à Rotterdam.

I

ANTONII GOVEANI EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS.

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E1_1 v.1 Sume patrocinium nostri, Catharina, libelli,
 2 cum domino valde qui cupit esse tuus.
 3 Quod non ante dedi, dare nunc, Catharina, licebit :
 4 in dominum scis me juris habere nihil.

AD LIBELLUM.

E1_2 v.1 Si quisquam esse novum dicat te forte, Libelle,
 2 excutiatque sua protinus ille manu.
 3 Si licet, et fas est, huic tu sic dicito, amice
 4 heus Lector, veteres nonne fuere novi ?

AD ANDRAEAM GOVEANUM FRATREM.

E1_3 v.1 Miraris, genio sine
 2 quod scribo, invidiae sollicitus nihil.
 3 Mi frater, genio sine
 4 non est invidiae sollicitus liber.

AD AUSONIUM.

E1_4 v.1 Salva tibi veterum maneat modo regula morum,

2 ludat, ais, mixtis sobria Musa jocis.
 3 At veterum pereat quamvis mihi regula morum,
 4 sordidulos fugiet pagina nostra jocos.
 5 Namque satis fuerit caste vixisse tacentem :
 6 scribenti non est vita pudica satis.

D. M. IOANNIS BAROLLAE.

E1_5 v.1 In quo certarunt Fortuna, Scientia, Virtus,
 2 Barolla exiguo conditur hoc tumulo.
 3 At vivos inter Fortuna, Scientia, Virtus,
 4 casurum nullo tempore nomen habent.
 5 Si quaeris, quid non una sint ista sepulta,
 6 exiguo a tumulo non potuere capi.

DE PICA IOANNIS CRUCEI PICARDI.

E1_6 v.1 Pica loquax Crucei studium est : Picardia namque
 2 dicta illi a Pica est, fallitur usque tamen.
 3 Crediderim Pici deductum a nomine nomen :
 4 Martia gens etenim est : Martia Picus avis.

D. M. HUBERTI.

E1_7 v.1 Credidit Hubertus vitam non esse secundam :
 2 flagitiis nullum constituitque modum.
 3 O quam gnara mali mens, quam praesaga futuri est !
 4 Aeterna Huberti est mors data flagitiis.

AD AMICOS.

E1_8 v.1 Versibus in nostris, quid vestra tacentur amici
 2 nomina ? Quis posset non memor esse sui ?
 3 Non haec causa fuit, mihi credite : nomina verum
 4 cum chartis nolo vestra perire meis.

D. M. LUCILLAE, E GRAECO VETUSTISSIMO.

E1_9 v.1 Hoc tumulo Lucilla jaces enixa gemellos,
 2 ille patri superest : est comes ille tuus.

AD ARNOLDUM.

E1_10 v.1 Si mihi nil debes, quid quaeso indebita solvis,
 2 sponte tua factus debitor ipse meus ?
 3 Esse quid hoc dicam, nisi quod vis debitor esse,
 4 ut possis isto creditor esse modo ?

DE BARLANDO.

E1_11 v.1 Tartareas Pluto Barlandum traxit in oras,
 2 obstiterint quamvis Diique Deaeque loci ;
 3 at cum flagitiis poenam non reperit ullam,
 4 e Stygiis subito jussit abire locis.
 5 Id veritus, ne qui terras foedaverat omnes,
 6 non secus ac terras, Tartara pollueret.

AD CATH. BOF. E GALLICIS MAROTTI.

E1_12 v.1 Me nive candenti petiit Catharina ; putabam
 2 igne carere nivem : nix tamen ignis erat.
 3 Non est una fides, non experientia fallax ;
 4 sensi etenim subitis corda cremata rogis.
 5 Ergo ubi tutus ero, nivibus si conditur ardor,
 6 effugiamque tuas, saeve Cupido, faces ?
 7 Tu, Catharina, potes subitas exstinguere flammam,
 8 non glacie, aut nivibus, marmoreis vel aquis.
 9 Sed si quae patior, poenae quoque sentiat auctor,
 10 et nostrum flamma flagret uterque pari.

AD SUSANNAEUM.

E1_13 v.1 Quattuor ergo tibi Gallos placet esse Marones,
 2 teque illos inter quattuor enumeras.
 3 Nae furiosus homo es, sterilis vel Gallia, quae te
 4 ut vates habeat quattuor, enumerat.

AD SPINETIUM.

E1_14 v.1 Nec gramen pastus nec pinguem mulus avenam
 2 est tibi, Spineti : pinguis at ille tamen.
 3 Quae sit causa rogas ? Didicit sic vivere parvo :
 4 rebus in his multum ponderis usus habet.

AD MARSIIUM.

E1_15 v.1 Sollicitas Mariam raucas crebrisque susurris,
 2 momentoque senex mille remandis "Ave".
 3 Hinc tibi promittis felicis praemia vitae,
 4 securusque tui fata, diemque manes.
 5 O quam te recti fallax deludit imago,
 6 non orare putat, labra movere, Deus.

DE BRIANDO VALLIO.

E1_16 v.1 Cum tonat, ad cellas trepido pede Vallius imas
 2 confugit, in cellis non putat esse Deum.

ICTUS AMOR, E GRAECO THEOCRITI.

E1_17 v.1 Mella puer Veneris legeret cum forte, legenti
 2 extremos digitos noxia fixit apis.
 3 Exclamat, terramque ferit, flatuque dolorem
 4 frigidulo ignitum vincere tentat Amor.
 5 Sic gemebundus adit Venerem, cui "Respice, dixit,
 6 magna perexiguae vulnera Mater apis."
 7 Cui Mater : "Tibi vis est, Nate, simillima ; namque
 8 exigua infligis vulnera saeva manu."

AD JACOBUM TEVIUM.

E1_18 v.1 Sepositas epulas media invenisse culina,
 2 a stupido factum Tevius esse negat.
 3 Sepositas epulas, Tevi, invenisse culina,
 4 nare valere puto, mente carere puto.

AD BARENUM CICERONIANUM.

E1_19 v.1 Quod patrem Stygium, Barene, dicis
 2 Neptunum, notulis tuisque mandas,
 3 dictum crediderim esse Tulliane.

AD ZEBEDAEUM.

E1_20 v.1 Pernicies vini patri caper hostia Baccho
 2 concidit, ante aras eluitura nefas.
 3 Bacchi ergo ZebedaE2_ aras mactaberis ante ;
 4 namque caper vino mitior esse solet.

DE CATELLO, CUI NOMEN PARIS.

E1_21 v.1 Qui tantae voluit tibi urbis esse
 2 nomen, deliciae, Catelle, nostrae,
 3 virtutem ille tuam et sagacitatem,
 4 tanto nomine visus est vocasse.

DE RIBALDO.

E1_22 v.1 Est canis huic nomen Ribaldus, amorque jocique
 2 cura, labor, studium, deliciaeque meae :
 3 ore canis patulo, maculoso tegmine, collo
 4 prominulo ac gracili, corpore et aure brevi ;
 5 a pede lunato poples subducitur olli
 6 inferior triplici barba notata pilo est ;
 7 renibus e latis tenuis se cauda profundit.
 8 Nomen deme, vides in cane turpe nihil.

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E1_23 v.1 Sint tibi, sint quamvis, nullae virtutibus, alto
 2 iudicio, antiqua nobilitate pares,
 3 nil mirum : tibi quae summi tribuere Deorum
 4 quis Catharina potest, aut petere, aut capere ?

AD MAXIMUM.

E1_24 v.1 Dente laboranti, ac medicamina cerra petenti,
 2 ut biberes, vetulae consulere tibi.
 3 Maxime, consilium noceat ne forte, timendum est ;
 4 namque voles, redeat saepius iste dolor.

AD JOANNEM BORDAEUM.

E1_25 v.1 Nostra tuis vinci fateor munuscula donis,
 2 nec, qua parte, roges : sit satis esse mea.
 3 At tua, quod tua sunt : quid enim plus dicere possum ?
 4 Abs te victa tamen, vincere nemo neget.
 5 Nos igitur quanto superes, BordaE2_, nec ipse
 6 quamvis multa potes, dicere forte queas.

E GALLICIS ANTONII ALACRIS. VENUS.

E1_26 v.1 Me nudam Paris, et nudam me vidit Adonis,
 2 ille meus iudex, et meus alter amor.
 3 Verum ubi me Rhodius nudam vidisset Apelles ?
 4 Fabula, vidisset scilicet ille Deam.
 5 Sic tamen ad vivum qui me depinxit, oportet
 6 nudatam Venerem viderit ille quoque.

AD SALMONIUM MACRINUM.

E1_27 v.1 Cum tribus Ausoniae certas, Macrine, poetis,
 2 idque lyra, salibus, flebilibusque modis.
 3 Nec frustra multa egregie conaris, at unus
 4 vix queat Alcides exsuperare duos.

AD IOANNEM CRUCEUM.

E1_28 v.1 Argutis Epigrammatum libellis
 2 toto notus in orbe Martialis
 3 quaeris qui fuerit, negasque notum
 4 argutis licet usque et usque chartis,
 5 extremis hominem fuisse terris.
 6 Mendaci arguis, et tenes aperti :
 7 Hispanum tamen esse schema nescis.

DE REGE ET NAUTA.

E1_29 v.1 Per freta cum veheret Regem diversa patremque
 2 submersum tumidis Navita fleret aquis,
 3 Rex illi : "Quis te tantus furor egit, inepte,
 4 ausus ut infido sis dare vela mari ?"
 5 Cui Vector : "Molli quid te, Rex Optime, lecto
 6 credis, ubi patrem scis periisse tuum ?"

AD MEDIANUM.

E1_30 v.1 Rectum Evangelii cursum, Mediane, retardas,
 2 lucentemque tegis lampada sub modio.
 3 Quid causae est ? Faciens contra, ne sorte noteris.
 4 Sic odisse solet fur, Mediane, diem.

DE ASELLO.

E1_31 v.1 Ad cenam sponsus veterem invitavit Asellum,
 2 cui nullus toto corpore sanguis erat.
 3 Hic grandem pro se natum delegat, opusque
 4 quid factu, et quali cum ratione docet :
 5 "Aulam ipsam quadam cum majestate subintra,
 6 saepe recusato membra repone loco.
 7 Si comedant, saltent, cantent, haec omnia, nate,
 8 fac, ut honestatis non videare rudis."
 9 Cui Natus : "Futuunt si forte, quid? " - "Id mihi manda,
 10 atque istic subito, dixit Asellus, ero."

E GALLICIS JACOBI BELNAEI.

E1_32 v.1 Forte locum horroris plenum, variique timoris
 2 et Mors, et penna praepete venit Amor.
 3 Dum trepidant animis, ignita Cupidinis arma
 4 Mors capit, et Mortis frigida tela Puer.
 5 Hinc enata lues nostros irrepsit in annos,
 6 hinc amat ipse senex, hinc perit omnis amans.

DE MONACHO.

E1_33 v.1 "Discite", ait populo Monachus, cum verba tonaret,
 2 quam doceret, coepit ante facere Deus. (cf. note dans version '.doc'
 3 Qui, stupidus quamvis, lapsum se turpiter esse du texte scandé)
 4 ut videt, errorem quo tueatur ait :
 5 "Si brevia extendo, si longa coerceo verba,
 6 nec retinet tempus syllaba quaeque suum,
 7 nil mirum est, annis fertur fecisse triginta,
 8 Patris jussa, rudes instituisse tribus."

DE CAROLO, ET CHRISTOPHORO CANDALLEIS FRATRIBUS.

E1_34 v.1 Par virtus, par nobilitas, par nobile fratrum
 2 ornat, commendat par quoque utrumque decor.
 3 Par etiam, ast annis multo prudentia major,
 4 caeca quibus voluit non minor esse Dea.
 5 Haec paria ex omni si non data parte fuissent,
 6 quid majus poterat Juppiter ipse dare ?

DE PUELLA CASTA.

E1_35 v.1 Oscula cum vellet Furius libare puellae,
 2 adversam Furii percutit illa genam.
 3 Dixit et "I, manui crepitantia basia fige ;
 4 namque eadem penitus sunt manus, osque caro."

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E1_36 v.1 Si te, flavescentesque comas, oculumque nitentem,
 2 labraque purpureis vividiora rosis,
 3 si decus hoc rarum, divinum si oris honorem
 4 (ne quid ego videar dicere forte nimis)
 5 incessumque gravem, qualem jurem esse dearum
 6 si quae est virtutum gratia blanda comes,
 7 si quae est nobilitas ab avis proavisque relicta,
 8 quae potuit meritis esse profecta tuis,
 9 miror, amoque meo quae gratia debita amori est ?
 10 Fac siquidem nolim, cogar amare tamen."

AD STEPH. DOLETUM.

E1_37 v.1 Quid te non laudem, credo, Dolete, requiris.
 2 Id me tu melius facis.

DE MONACHO.

E1_38 v.1 Depremsum nemore in medio jussere latrones,
 2 de Christi monachum religione loqui.
 3 Qui dicto citius, neque enim fas dicere contra,
 4 paret, et hoc fatus dicitur esse modo :
 5 "Acta manus Juvenum terrae pelagique periculis,
 6 haec haec, quam sequeris, ducit ad astra via.
 7 Namque vagabatur terraque marique nec uno
 8 narratur Christus consenuisse loco.
 9 Tu quoque nunc illuc, nunc huc absque ordine curris,
 10 horaque non uno te videt una loco.
 11 Non putrem curvo terram vertebat aratro,
 12 nec solitus terrae credere semen erat ;
 13 vivebat tamen, et vitae nil desuit umquam.
 14 Hac quoque vos estis commoditate pares.
 15 Quid plura ? Alta fuit tandem ad subsellia tractus,
 16 damnatusque : eadem vos quoque fata manent.

17 Ille cruci affixus vitam cum sanguine fudit ;
 18 non eritis, credo, vos meliore loco.
 19 Umbrarum ille domos, caecaeque cubilia noctis
 20 visit, et est vobis ista terenda via.
 21 Ille tamen subito caelestia regna revisit :
 22 non dabitur vobis inde referre gradum."

AD ANDRAEAM GOVEANUM FRATREM.

E1_39 v.1 Accepi frater leporem : tibi ponitur, an non
 2 id vere est leporem perdere, et accipere ?

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E1_40 v.1 Parce mihi, si quod mirari debeo, miror :
 2 amoque officii oblitus mei.
 3 Et facies, siquidem nulli fas dicere sisne
 4 divinior, an humanior.

AD NUGIVENDULUM.

E1_41 v.1 Si tanti pergas nihili divendere nugas,
 2 hoc studium cunctis, hic labor unus erit.
 3 Sic ars, atque artis vilescet protinus usus.
 4 Ergo tibi melius, vende minoris, erit.

AD PRAGMONEM.

E1_42 v.1 Destruis, aedificas, rursum, prorsum omnia versas ;
 2 inque suo, Pragmon, nil sinis esse loco.
 3 Vis, credo, dicant nil te fecisse minores :
 4 omnia, sed dicent, qui faciebat, erat.

DE VETULA.

E1_43 v.1 Et tractare manu Thomam, et vectoris aselli
 2 vellere certabat credula turba pilos.
 3 Hic Anus in Thomae canos, rarumque capillum
 4 involat, ac rapido vellicat ungue senem.
 5 Infremuit Thomas : anus obstupefacta "Quid, inquit,
 6 nonne pilos Asini vellere cuique datum est ?"

AD JACOB. ALENIIUM.

E1_44 v.1 Quae nostri numquam meruere, Jacobe, labores
 2 quae nec ego officiis promeruisse puto,
 3 das mihi, peccatum est, verum tu dicere possis,
 4 quod mihi plus satis est, non satis esse tibi.

DE PIMPINO.

E1_45 v.1 Immensum trabe sulcaret dum Pimpinus aequor,
 2 en subito aequoreas concitat Eurus aquas.
 3 Quemque suus casus, sua quemque pericula terrent,
 4 et grave cuique, avidis piscibus esse cibo.
 5 Pimpinus hic : "Vobis mors omnibus, inquit, amici,
 6 at mihi sunt gelidae causa timoris aquae.
 7 Nam mare si faceret divina potentia vinum,
 8 hic vellem tumulum corporis esse mei."

AD MAXIMUM.

E1_46 v.1 Importunus ego dicor tibi, Maxime, semper,
 2 a me cum petitur caseus iste tuus.
 3 Quid tibi vis ? Vel caseolum da, Maxime, totum,
 4 vel non des vitio, quod facis ipse, mihi.

AD ALPHASIANUM.

E1_47 v.1 Rhethoricae praefers artem, Alphasiane, culinae,
 2 paene e sordidulis ut videare coquis.
 3 Esse quid id dicam, nisi quod vis major haberi
 4 orator, quam sis, Alphasiane, coquus ?

AD VULTEIUM.

E1_48 v.1 Inscriptionum, non Epigrammatum libros,
 2 tuarum ineptiarum Amazonidem vocas.
 3 Erras inepte, scriptionum sunt libri.

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E1_49 v.1 Tum dabo pro xeniiis tibi me, Catharina, lubenter,
 2 reddideris postquam me Catharina mihi.

AD JOANNEM CRUCEUM.

E1_50 v.1 Saepe mihi dicis res magna est esse patronum ;
 2 esse nihil, dico saepius ipse tibi.
 3 Nam quid id est, quod si in terras mens sana rediret,
 4 in terris nullum posset habere locum ?

DE FABRO.

E1_51 v.1 Quercus erat sterilis medio latissima campo,
 2 quercus Olympiaci maxima cura Jovis :
 3 hanc Faber esse deum voluit, fecitque Priapum,
 4 inque sacra proprium sede locavit opus.
 5 Turba novo sua vota Deo cum ferret, et una

6 funderet assuetas cum Faber ipse preces,
 7 en alta de sede Deus ruit, unius ictu
 8 horrendo Fabri comminuitque caput.
 9 Qui vitam effundens, vix interfatus amicos
 10 sic interruptis dicitur esse sonis :
 11 "Discite ab exemplo nova cudere Numina : quercus
 12 deterior facta est, est ubi facta deus."

AD JOANNEM PODIANUM.

E1_52 v.1 Fers majora tuo, Podianule, corpore dona.
 2 Quis te oneri tanto crederet esse parem ?
 3 Quis, nisi qui mentem multo tibi noverit esse
 4 corpore majorem, muneribusque tuis ?

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E1_53 v.1 Saepius ardenti per laudes ire tuorum,
 2 perque tuas, titubat si, Catharina, manus,
 3 culpa tua est ; siqua esse potest in Numine culpa,
 4 ingenium vati surripis omne tuo.

D.M. GABRIELIS TARRAGAE MEDICI.

E1_54 v.1 Viderat, et poterat venientem evadere mortem,
 2 Tarraga ; at certo maluit ille mori.
 3 Maluit ille mori, melius quo vivere posset
 4 in superis. Medicum nil Medicina juvat ?

AD STEPH. DOLETUM.

E1_55 v.1 Si Ciceronis habent animam tua carmina, certe
 2 habere tu potes quoque.

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E1_56 v.1 Te quaeso primam specie virtutis in omni
 2 quis dicat, cum sit nulla secunda tibi ?

AD LECTOREM SUI EVUAGORAE.

E1_57 v.1 Isocratis veneres, numeros, ac lumina possum,
 2 lector, si minus assequi,
 3 tanta tamen virtus, melius fortasse videri,
 4 quam nostro vitio, nequit.

AD FRANC. FRANCORUM REGEM. E GALLICIS MEL. SANGELASII.

E1_58 v.1 Si melior virtus, si gratia gratior esse,

2 sorsque velit fieri prospera, prosperior,
3 consultum mage consilium, perfectioque ipsa
4 perfici, et ad numeros addere multa suos,
5 abs te debebunt Rex impetrare, reponi
6 se titulos inter ut patiare tuos ;
7 utque bonus, gratus, felix, dici ore nepotum
8 prudens, perfectus, qualis es ipse, velis.

AD ZEBEDAEUM.

E1_59 v.1 Nec voces hominum, nec te decreta Senatus,
 2 ut barbam ponas, ulla movere queunt.
 3 Nolo virum, barba quaerit qui nobilis esse :
 4 hunc volo qui barbam nobilitare potest.

AD BORBONIUM.

E1_60 v.1 Si nomen tibi vis sacrum poetae,
 2 Borboni, levibus parare nugis,
 3 te nos rusticula, ac profana turba,
 4 qui nugas facimus minoris asse,
 5 te nos unius aestimemus assis ?

AD ARCHIPOETAM.

E1_61 v.1 Audieris magnum postquam scripsisse Maronem
 2 vix eris ipse tibi semipoeta malus.

D. M. LAURAE.

E1_62 v.1 Petrarchae volvens divina poemata Phoebus,
 2 "Haec est Laurus, ait, sit modo Laura licet."
 3 Dixit, et insontis letali vulnere costas
 4 transadigit dicens, temnito Laura Deum.
 5 "Laura animam effundens, Phoebum dileximus, inquit,
 6 peccatumque mihi sit placuisse Deum."

RESPONSUM AMORIS. E GALLICIS ALBENATII.

E1_63 v.1 Indutus doctoris Amor vultumque, togamque,
 2 tractabat medio maxima quaeque foro.
 3 "Huic ego, per Venerem dic, cur dolor adstat amori ?"
 4 "Ille mihi, solus mors, ait, esset amor."

AD LECTOREM.

E1_64 v.1 Sunt mala, sunt quaedam pejora, et pessima plura.
 2 Arguit auctorem pagina nostra suum.

II

EPIGRAMMATA LIBER SECUNDUS.

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E2_1 v.1 Si, Catharina, tuum nomen mea pagina sumpsit,
 2 inque patrocinium se dedit ipsa tuum,
 3 nil mirum : quae digna fuit fortasse perire,
 4 vindice se tali vivere posse putat.

AD LECTOREM.

E2_2 v.1 Ineptiarum volve, quaeso, nostrarum,
 2 lector, secundum quem tibi adfero librum.
 3 Addamque tertium, tibi id modo sit gratum.
 4 Ineptiarum namque nos penes, lector,
 5 et tertio et quarto sat est etiam libro.

DE VIRGINIS PALLORE. E GALLICIS ANTONII ALACRIS.

E2_3 v.1 Castra locarat Amor securo in corde puellae,
 2 et nimis, in tenero pectore, durus erat.
 3 Quodque magis doleas, vitam bibit artubus omnem
 4 efferus, heu, nimium, sanguineusque Puer.
 5 Hic cor, ubi affectas vires persensit, ab ore
 6 purpurei accivit sanguinis auxilium.

FALSUS CUPIDO.

E2_4 v.1 Barbara velato Gelasina occurrit Amori,
 2 occepitque Puer dicere "Mater, ave."
 3 Illa nihil contra, at subito velamine dempto
 4 ex oculis. Pueri permeat ora pudor.
 5 Ah ne te lapsus pudeat, velate Cupido :
 6 hoc etiam errarunt lumina aperta modo.

DE OPERE FRAN. VALLERIOLOAE.

E2_5 v.1 Dignum opus a sera quod posteritate legatur,

2 absolvit numeris Valleriola suis.
 3 Perlege opus tantum, auctorem miraberis : ipsum
 4 noveris auctorem, pluris emetur opus.
 5 Frustra ergo accedat mea commendatio : laudat
 6 ipsum opus auctorem, laudat et auctor opus.

D. M. MONTANI JURISPERITI.

E2_6 v.1 Montanus trepidos media de morte trahebat,
 2 viribus eloquii, consiliique reos.
 3 Mors regnum, lucrumque Charon, duraeque Sorores
 4 clamabant vires succubuisse suas.
 5 Nec mora, Montanum rapiunt sine legibus ullis.
 6 Ah, non sic satis abstulit ille reos.

AD JACOBUM BELNAEUM.

E2_7 v.1 Cum vates numeras quos saecula nostra tulere,
 2 me vatum in numerum jure, Jacobe, refers.
 3 At vates si vis aequata pendere lance,
 4 non ero, crede mihi, ponderis hujus ego.

AD MELLINUM SANGELASIIUM.

E2_8 v.1 Nostros, Sangelasi, tibi libellos,
 2 libellos brevitatem singulari,
 3 commendo, exiguis licet, videbis
 4 conclusum genus omne ineptiarum.

AD LECTOREM.

E2_9 v.1 Pauca damus, fateor, sed inepta epigrammata, lector ;
 2 ergo multa nimis dicere jure potes.

AD DOLETUM.

E2_10 v.1 Si salsum est nihil in tuis libellis,
 2 Dolete, hac poteris vacare culpa,
 3 qui sudaveris usque et usque totus,
 4 ut scriptor fieres subinde salsus.
 5 Tuum os hoc rigidum, minax, severum,
 6 os dirum, os tetricum, os Catonianum,
 7 Romani fugiunt sales, jocique.

D. M. CIRETTI.

E2_11 v.1 Ciretti similem si Mors superesse putasset
 2 injuriarum vindicem,
 3 non patriae, uxori, natis, non legibus ipsis,
 4 fecisset hanc injuriam.

E GALLICIS MAROTTI.

E2_12 v.1 Quaerit opem Corpus medicam, Mens omnia contra,
 2 carceribusque atris ire soluta cupit.
 3 Corpus humum, cognata levis Mens suspicit astra.
 4 Dii quam terrificum Mensque Caroque fremunt ?
 5 "Me ne ita, Corpus ait, tristi succumbere morbo ?"
 6 Mens contra : "Invisas me trahere usque moras ?"
 7 "I, Caro ait, meliora peto", cui Spiritus : "Errat
 8 inquit, uterque : Dei stemus in arbitrio."

CATHARINAE BOFREMONTANAE AD LAURAM.

E2_13 v.1 Parce mei, quaeso, Goveani temnere Musam,
 2 Petrarcha, nimium Laura superba tuo.
 3 Crede mihi, scribit quo plura Petrarcha disertus,
 4 hoc ejus distat mens ab amore magis.
 5 Cui non suffuratur Amor de corpore sensus,
 6 judicium ? Memorem quem sinit esse sui ?
 7 Ergo meum non ingenio cessisse Petrarchae
 8 credideris Vatem, plus sed amasse tuo.

AD JOANNEM, LUSITANIAE REGEM.

E2_14 v.1 Cum tibi nec vires, nec opes in proelia desint,
 2 fortuna arbitrio stetque cadatque tuo,
 3 quid non finitimos flamma ferroque laccessis ?
 4 Quid non injustum jus tibi ubique facis ?
 5 Haec tua divina est, ac plane regia virtus,
 6 posse nocere quidem, nolle nocere tamen.

AD JAC. BELNAEUM.

E2_15 v.1 Dissimulanda mihi fuerat mea patria, verum
 2 carminibus patriam vivere nolo meis.
 3 Adde quod illius tanta est lux, gloria tanta,
 4 lumine ut in tenebris luceat ipsa suo.

AD ARCHIPOETAM.

E2_16 v.1 De numero vatum vates detraxeris omnes,
 2 hoc subito fies Archipoeta modo.

DEARUM INVIDIA.

E2_17 v.1 Videre, et Catharina tibi invidere puellae
 2 tres divae, Juno, Pallas et alma Venus.
 3 Sic indignantes secum, dirumque frementes,
 4 ante Jovem posito procubuere genu.

5 Hic Juno, ante alias, medio interfata dolore est,
 6 singultu tremulos excutiente sonos.
 7 "Juno impertit opes, et Juno impertit honores ?
 8 Fabula, ab humanis sumere Juno potest."
 9 Tum Venus : o Genitor, divas quae vicit in Ida,
 10 humana ut forma sit modo victa Venus ?"
 11 At Pallas : "Quid me cerebro genuisse necesse
 12 Palada, si possunt femina virque dare ?"
 13 Juppiter hic, tales aliam genuisse parentes
 14 non potuere, tamen non genuere Deam.

AD BORBONIUM.

E2_18 v.1 Nugarum voco gratia poetam
 2 quo te saepius, hoc magis magisque,
 3 Borboni, dubito, levesne possint
 4 nugae reddere serium poetam.

AD LECTOREM.

E2_19 v.1 Cresce meo dico, Lector studiose, libello.
 2 At contra ille mihi, non sapis hercle pater.
 3 Cum rogito causam, ridens sic ille, libellus
 4 si placeo, speras posse placere librum ?

AD MARONEM.

E2_20 v.1 Ne mirere Maro, cur Archipoeta vocetur
 2 nescio quis ; vera est cognita causa mihi.
 3 Quantum a postremis distas, Maro docte, poetis,
 4 tantum distat ab his Archipoeta meus.
 5 Nam quo postremis prior es, Maro docte, poetis,
 6 posterior tanto est Archipoeta meus.

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E2_21 v.1 Si Laurae Catharina par haberis,
 2 quam tantam eximius poeta fecit,
 3 hoc Laura potes esse major ipsa,
 4 quo me major erat Petrarcha vates.

AD POSTHUMUM.

E2_22 v.1 Contentus esse filiabus, Posthume,
 2 auctus duabus, sorte jam potes tua.
 3 Nam si neque dimidium petebas unius,
 4 plus quam petebas accepisti, Posthume.

AD STEPH. DOLETUM.

E2_23 v.1 Pythagorae, Dolete, placet si dogma renati,
 2 non mirum est, animam si Ciceronis habes.
 3 At tantam molem, et tantos diffusa per artus,
 4 virtutem certe perdidit illa suam.

D. M. SIBYLLAE BARTIAE.

E2_24 v.1 Cum Pater ipse hominum caelis inferre Sibyllae
 2 et mentem, et mentis terrea claustra parat,
 3 en tellus natae collo dans brachia circum,
 4 "Patri animum, matri reddito corpus", ait.
 5 Nata piaie justas lachrymas miserata parentis,
 6 liquit materno corpus inane sinu.

AD POETAS GALLOS.

E2_25 v.1 O sacri Vates, dilectaque pectora Phoebos,
 2 gratis nemo putet scommata nostra dari.
 3 Nec mihi larga manus, nec copia magna, quid ergo ?
 4 Ad fenus, Vates, scommata nostra damus.

AD ANTON ARLERIUM.

E2_26 v.1 Tanta tua, Arleri, gravitas, prudentia tanta,
 2 quanta potest homini caelitus esse data.
 3 Tanta est cognitio variarum condita rerum,
 4 quantam ferre dies longa, laborque solent.
 5 Quae faciunt, scelus ut credam, quodcumque probasti,
 6 seu damnare alium, sive probare minus.
 7 At quando, Arleri, tibi somnia nostra probantur,
 8 numquid iudicio falleris ipse tuo ?
 9 An potius (nec enim tantum scelus excidet ore)
 10 verum iudicium, lingua modesta tua est ?

AD JANUM HABERTUM.

E2_27 v.1 Quae tu pauca putas Epigrammata, Jane, putarim,
 2 si bona, multa satis, si mala, multa nimis.

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E2_28 v.1 Vincis me ingenio, lepore, forma,
 2 vincis nobilitate, vincis omni
 3 virtutum genere omnium optimarum ;
 4 vincis, non nego, nec negare possum.
 5 Ignorant sed amor meus fidesque
 6 vinci, et sola movent rebellionem.

DE LAURENTIO VALLENSI.

E2_29 v.1 Ex juramento Vallensis utramque Minervam
 2 emendaturus, si potuisset, erat.
 3 Quid faciat ? Pugnet Latiae Graecaeque Minervae.
 4 At bene non potuit : debuit ergo male.

D. M. JOAN. ALBERTI.

E2_30 v.1 Ne tumulum Alberti exiguum mirere, viator.
 2 Nam quo potuit cumque obtegi
 3 Albertus tumulo, doctae potuere Sorores
 4 et Gratiae, et Pietas tegi.

AD ANOSIUM.

E2_31 v.1 Saepe rogare soles, de te quid sentio : laudo
 2 virtutis dotes, ingenique tui ?
 3 Ventosum caput est, mens impia, lingua profana,
 4 exsertae atque agiles ad scelus omne manus.
 5 Immensa est gula, et horrentis via spurca Barathri,
 6 culo sordidior foetidiorque tuo.
 7 Crura pedesque doli, stupri, furtique columnae.
 8 An nunc quid de te sentio scire potes ?

AD GILIBERTUM.

E2_32 v.1 Vis, Giliberte, mihi donis animoque placere ;
 2 visque ut ego sevi, sic ego ut arva metam.
 3 Verum ut displiceas timeo, Giliberte : placere
 4 qui virtute mihi non satis esse putas.

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E2_33 v.1 Te primum ut vidi magnorum munere Divum,
 2 quaerebas nomen dissimulare tuum.
 3 Ast Amor auriculam, subito miseratus amantem,
 4 vellit, et admonuit nominis ipse tui.
 5 Haesi equidem, obtutum longum defixus in unum
 6 deceptus tamquam, sustinuique fidem.
 7 "Quid dubitas ? ait ille. Deo crede, impie, crede."
 8 Huic ego contra, hominis nomen habere Deam ?

DE BASSA.

E2_34 v.1 Sacrificum cur Bassa preces pro conjugis umbra
 2 non emeret, causam saepe rogata fuit.
 3 Bassa ait : "His precibus conjux non indiget ullis ;
 4 seu penitus felix, sive sit usque miser.
 5 Quod si paulisper rapido purgetur in igne,
 6 quid ? Faciam ut preculis exeat inde meis,

7 inde, ubi sudando tandem exsudaverit imis
8 visceribus, Gallae dira venena luis ?"

AD ZEBEDAEUM.

E2_35 v.1 Nocte domum, Zebedaeae, refers quod in urbe vagatur ;
2 visque dari nugis optima vina tuis.
3 Jam jam deficient portantes vina ministros ;
4 nam si multa refers, plus, ZebedaeE2_, bibis.

AD LECTOREM ORATIONIS ILLIUS PRO CTESIPHONTE.

E2_36 v.1 Crimina, quae facto temerarii admisimus uno,
2 exemplo ut caveas, accipe posteritas.
3 Eloquii fulmen gelido restinximus amne :
4 misimus in putres Caecuba vina cados.
5 Quodque putes gravius, fuerat qui victor Athenis,
6 causa hodie vitio decidit ille meo.

D. M. FRANCISCAE PERUSIAE. AD VENEREM

E2_37 v.1 Quid, quod in aetatis Francisca Perusia flore
2 erepta est, flesti tuque, puerque tuus ?
3 Quid flesti, siquidem poterat nihil addere formae,
4 virtuti, ingenio Virginis, ipsa Dies ?

AD CATHARINAM BOFREMONTANAM.

E2_38 v.1 Vivere si nostri possint, Catharina, labores,
2 et tandem a sera posteritate legi,
3 gratia multa tibi : siquidem meliore Camena
4 dignior, in nostro es carmine passa legi,
5 ut magno felix debet quod Laura Petrarchae,
6 debeat id tandem pagina nostra tibi.

AD JACOBUM BELNAEUM.

E2_39 v.1 Ecce repente uno felix dat Gallia partu,
2 Doletum iambico trucem,
3 Macrinum curva gnarum testudine, Divum
4 restinguere ardentes minas,
5 Borbonium Latiis salibusque jocisque fluentem,
6 Nugisque gratum seriis ;
7 vosque o Vultei, Brixii, Marthane, Ducheri,
8 sacrae decora poeseos.
9 Quaeris quid facio ? Numero, BelnaE2_, poetas
10 quos Gallia protulit ferax.

AD LECTORES.

E2_40 v.1 Parcite, lectores, periturae parcite chartae :
2 ut pereat, vestro non eget auxilio.